17

TENTAMEN MEDICUM 17

INAUGURALE

DE

ANGINA PECTORIS.

AUCTORE JACOBO POPE.

Mirifico quodam nexu, sive consensu partium, ita constituitur humani corporis fabrica, ut injuria parti alicui illata, partes aliae condolentes huic summa ope succurrere videantur; quoniam vero pars consentiens, propter vitium quoddam a natura, aut morbo praecedente comparatum, aliquando doloris incursum aegre sustentat, non semper est facile ex morbi signis latentes cognoscere causas. Talia volvens animo, exemplum propono in medium proferre morbi, de cujus causa, sede, et curatione, medici

[1820]



non omnino consentiunt. Quinetiam, charum mihi amicum hic gravis affligit morbus, qui a medicis plerisque appellatur Angina Pectoris; sic mihi est visum, et fratri meo rem medicam facienti, quocum mihi contigit aegro assidere, paroxysmos anxie observare, atque historiam ediscere morbi.

Hic mihi condiscipulus est clericus, annos circiter triginta natus, statura media, obesitati pronus, vitam sedentariam ducens, corpus exercere more solito non curavit. Obesitas auxit. In temperie aëris subcalida et humida degens, cibum generosum sumere solebat, vini vero non bibax. Bona indole, mente benevola, ingenio praestanti praeditus, amicorum sodalitio admodum gaudebat.

In hypochondrio dextro prima morbi indicia sese ostendere coeperunt. Intervallo temporis haud ita longo querebatur dolorem pectoris non valde acutum invadere: huic brevi superveniunt paroxysmi, qui, ut ipse narrat, indies ingravescere non desierunt, usque dum illi frater meus consilium dedit. Paroxysmos, quibus pluribus interfui, paucis jam nunc describere co-

nor. Sub sterno ad inferiorem partem sensus adest doloris, nec non stricturae, ac strangulationis, quasi item nexus inter thoracem et abdomen sit omnino solutus; dehinc in pectoris partem sinistram dolor tendit gravis: musculorum cursus pectoralium majorum ad usque insertionem in brachio dolore tentatur acuto, qui dehinc in carpum sinistrum, et demum in dextrum penitus jaculatur; ibi interdum manet fixus, vel post paroxysmi solutionem. Hic est notandum, dolorem carpi saepe paroxysmo praecedere. Facies pallida anxietatem indicat multam. Durante paroxysmo adest mortis timor instantis; remittente autem, spem laete accipit, se valetudinem integram brevi recuperaturum. Facies apparet contracta; torve intuenti, oculi fiunt mobiliores. Sudore frigido facies, haud raro et artus madent. Palpitatio premit cordis; pulsus est frequens, tensus, et resiliens, cum ictu autem aequali; sub finem vero paroxysmi fit debilior, et minus frequens: deliquium animi semel, aut iterum me absente supervenerat. Hic notari meretur motum arteriarum pulsatilem, vel remissione pluri-

mum esse auctum. Languor et lassitudo subsequitur. Syncopen non vidi. Dyspnœa non apparet multa, nihilominus aëra frigidum utique captare conatur. Respiratio aeque fit citatior, ac invita, ut ait. Sensorii functiones damnum patiuntur nullum. Caput non dolet. In latus sinistrum cubare, moleste fertur. Abdomen est tactu tensum, praesertim in regione epigastrica, nec non umbilicali, et circa hypochondrium dextrum. Alvus est pertinaciter astricta. Urinam reddit parcam, colore rubro, et subfusco. Appetitus bonus: sitis nulla. Sapor alicujus viscidi, et lactei ex pharynge assurgentis, haud raro sentitur. Oedema adest pedum inelasticum, quod nec ocreas, nec calceos induendos esse sinit.

De paroxysmo est observandum, accessionis locum tempus, et vim variare. Nocte plerumque circa horam 12^{mam}, postquam cubitum ivit, e lecto surgendum est; locum, et situm suum mutare non cessat: interdum sedet; interdum lento cubiculum perambulans passu, summo cum angore questus edit miserandos. Duratio paroxysmi est valde incerta; interdum non

longior una, saepius tribus vel quatuor horis, nonnunquam diutius affligere perstat. Interdiu etiam aggreditur, sed rarius, et levius. Corporis exercitatio est molesta. Siquando in rheda vehatur dolorem minantem raro sentit. In equum ascendere non est aeque jucundum. Temperie coeli humida, morbi symptomata ingravescere solent. Frigus haud male convenit. Post prandium singultui, et oscitationi indulget. Solvitur interdum paroxysmus post emesin, interdum post expectorationem sputi parcam mucosi, quod ex parte lateris dolente derivari putat. Sputum est sapore interdum calcareo, ut semel mihi narravit. Est ubi, venit levamen, sine emesi, vel sputo rejecto. Interdum, paroxysmo minitante, huic cito supervenit remissio exoptata.

Hactenus hujus morbi notabilis symptomata tradere conabar. Pauca nunc de medelae consilio, quod a fratri meo fuit institutum, describere volo; deinde symptomatum, et medendi rationem, pro viribus meis, et hujus opusculi limite, breviter disserere propono.

Purgantia, qualia sunt convolvulus jalapa, aloë, scammonium, colocynthis, submuriati hy-

drargyri varie juncta, atque terebinthina, ut motus intestinorum jam tardus probe concitetur, pro re nata, fuerunt exhibita. Pilulae etiam secundum hanc formulam :

℞. Pulv. Rad. Scillae Maritimae,
Submuriatis Hydrargyri, āā ʒſs ;
Pulv. Foliorum Digitalis Purpurei, gr. xv. ;
Pulveris Aromatici, gr. xvi.

Pulvere bene contrito et commisto, addatur q. s. Syrupi aurantii. Confice pilulas xx, quarum sumat unam mane, nocte repetendam.

Multo melius sese habuit post usum pilularum, quae primo diuresin, dein effectum levem hydrargyri proprium in gingivas concitarunt. Paroxysmi fiunt leviores et minus frequentes. Conditio urinae, et dejectionum evadit melior. Oedema minuitur pedum. Abdomen fit mollius. Brachiis utrisque et lateri sinistro inserti sunt fonticuli. Adveniente paroxysmo, aetheris tum sulphurici, tum nitrosi, drachmam in aquae frigidae haustulo sumit. Interdum vini tartritis antimonii adduntur guttae triginta vel quadraginta. Emesin aquae ope calidae, vel florum anthemidis nobilis, concitat ipse. Alimentum animale parcum, nec non vegetabile tam nutriens, quam bene coctum huic bene convenit. In

rheda, coelo permittente sereno, continuò vehitur. Me ruri abeunte convaluit; quinetiam, ex fratris mei literis disco, esse spem nec vanam reditus, in salutem integram, quandoquidem officio ejus clerico nunc perfungi potest.

DE CAUSIS.

Dr Hosack in Columbia medicinae professor, qui hanc rem nuperrime tractavit, ad hunc modum docet : " He is induced to consider the " disease as proceeding from a plethora of the " blood-vessels, especially from a dispropor- " tionate accumulation in the heart and larger " arteries : upon this principle he has proceed- " ed in the treatment of this distressing and " dangerous disease*." Quoniam vero nec morbi signa satis plene delineavit, nec argumenta dedit ulla ad hanc sententiam stabiliendam ; hoc tantum notare vellem, Doctorem Parry †, qui summo cum ingenio et industria,

* Vide American Medical and Philosophical Register, vol. ii. page 365.

† Dr H. Parry's Enquiry into the nature and causes of Syncope Anginosa.

hujusce morbi naturam investigavit, idem sentire. Sed praeter sanguinem congestum, quam statuit unam esse causarum excitantium, cordis debilitatem, ossificatione arteriarum cordis coronariarum illatam, ponit, causam esse proximam, exin ducitur nomen "Syncope Anginosa." Dr Darwin spasmo ascribere maluit*. Forsan operae est pretium, ad analysin signorum ante et post mortem ut advertamus, et experiamur, si quocunque modo has theorias ad morbi phaenomena solvenda adaptare queamus. "Est "quodam prodire tenus, si non datur ultra."

DE ABDOMINE TENSO.

Auctores fere omnes hujus partis morborum monstravere statum. Sectione facta, morbi phaenomena insolita fuerunt visa, qualia sunt omenta crassa et ponderosa. Obstructiones viscerum chylopoieticorum, tum ventriculi, tum hepatis, cujus in cysti aliquando fuerunt reperti calculi biliosi numero fere incredibili. "There were

* Vide Zoonomia, vol. ii. quarto, page 342.

" in the gall bladder a surprising number " of biliary concretions, amounting by the " most accurate reckoning to 2654 distinct " stones, weighing 438 grs Troy*." Doctor FOTHERGILL † memorat, tuber insigne in formam ovi ab ipso fuisse repertum, convexae et posteriori hepatis parti excrescens. Ventriculus interdum invenitur tunicis induratis, et crassis aeque ac inflammatione correptis. In hepatis parenchymate, concretiones, sive tubercula haud raro observantur, cum hepatis ipsius crassitudine aucta. Ex his colligere licet, quod viscera abdominalia morbida, non solum ad creandum, sed et ad hunc morbum sustentandum, magnopere pollent. In casu amici mei, res ita sese habere, est verisimile.

DE SENSU STRICTURAE.

Hoc signum pathognomicum, quo non aliud constantius, aut gravius, in exemplo jam allato,

B

* Parry's Enquiry, page 24.

† Vide London Medical Observations and Enquiries, page 240.

valde erat notabile. Nam circa septi regionem transversi, sensus stricturae ita premebat, ut putaret aeger, nexum, inter et thoracem, et abdomen, fuisse omnino sublatum. Hanc stricturam, spasmo praecipue tribuere mallem. Suffocationis, aut strangulationis, nec non anxietatis sensatio, ex eadem causa pendere videtur. Nam, durante spasmo, aër in pulmonibus male renovatur, septi spasmo ascensui ejus praevertente. Singultus quidem et oscitatio ex hac origine sunt plerumque ducenda. Tum vomitu, tum ructu, aut tollitur, aut breviatur paroxysmus: vomitus forsitan spasmum laxat; nec non ventrem exhauriendo, unam causam excitantem aufert. Flatum esse causam excitantem, est verisimile; haec est causa quare levamen afferat ructus: forsan etiam ut vomitus, ita ructus ascensum diaphragmatis faciliorem reddit. Dr Parry inter anginae signa simplicis dyspnoeam non admittit: "I foresee that some persons will object to my "excluding dyspnoea from among the charac- "ters of this disease *." In exemplo allato, quamvis aëra inspirandi fuit proclivitas, defuit

* Vide Dr Parry's Enquiry, p. 61.

facultas libere expirandi; sic mihi est visum. Siquando abesse videatur dyspnoea, opinor, rem esse apparentem, non veram: haud scio an ossificatio * partis costarum cartilaginosae, vim resiliendi auferendo, ad hunc effectum conferre possit, aeque ac laesio nervorum, sive musculorum respirationi inservientium, per materiam osseam, aut pericardium onustum, facta, sicut infra utcunque explicare experiar.

DE PALPITATIONE.

Dr Parry negat hoc esse anginae signum. Aliis aliter est visum, et melius, ut censeo; quamvis enim arteriae coronariae cordis ossificatae motum cordis aliquando minuere valeant, et inde forsan ad causae cognitionem unius excitantis ducant, non inde sequitur conclusio, motus cordis abnormes, nunquam non praeverti posse: quinetiam, non est mihi satis compertum, argumenta sufficere, ut probent hanc solam

* Vide Dr Black's Letter in the Memoirs of the London Medical Society, p. 261.

esse, vel frequentem causam. Cum res ita sint, non liquet, motum cordis imminutum, esse signum essentiale. HEBERDEN, qui primus historiam anginae nobis probe delineavit, rem esse fallacissimam venam docet *. Nervorum stimulus quivis insolitus respirationem citam cum palpitatione ciere valet. Cor etiam sanguine venoso oppressum; sanguis enim per pulmones parcius transmittitur, ingratum nititur excutere pondus. Hinc exoriatur motus abnormis sive citatior, qui palpitatio fere appellatur.

DE DOLORE.

SCRIPTORIBUS fere omnibus consentitur de sede doloris, qui sub inferiore sterni parte, latus versus sinistrum tendens, primariò locatur. De causa vero nullum habent consensum. HOME, pressurae vasorum in ossa versorum tribuit. Si causa haec sola par esset malo, quare remittitur dolor? PARRY sanguinem in corde et vasis majoribus tardatum in auxilium vocat. "The

* Vide Heberden's Commentaries, p. 364.

"blood retarded in the cavity of the heart and "lungs causes the same sort of anxiety as that "which occurs from long holding the breath; "and it is probably this retardation which, in "addition to the pressure of the indurated co- "ronaries, produces the intolerable constric- "tion or pain, and the frequent disposition to "sighing, so conspicuous in the syncope angi- "nosa *."

Si ex hac causa sola penderet dolor, venaesectio causam auferens, tollere deberet effectum; sed non ita se res habet, potius verò nocet sanguinis missio; nec possum intelligere, quomodò sanguinis illa congestio, tam acutum concitare possit dolorem, qui saepissime nulla ossificatione reperta anxerat. Dr BLACK rem explicare suscepit, assumpta propositione, quam concedere non licet: "When any organ is by disease rendered unfit for its office, the performance of that office is attended with pain †."

Non nobis inter hos tantas componere lites; ergo ad propositum revertamur.

* Vide Dr Parry's Enquiry concerning the nature and cause of Syncope Anginosa, p. 123.

† Vide Memoirs of the London Medical Society, p. 273.

DE SPUTO.

Sputum in casu antedicto, ex parte lateris sinistri dolente, interdum derivari videbatur: hoc praecipue notavit Heberden, in uno tantum exemplo, ni fallor: quinetiam, in casu condiscipuli mei, sputum aliquando sapore fuit calcareo.

Unde petitum? Rem calcaream in pulmonum membranis esse secretam, est verisimile. Morgagni, Bayley, Parry, Black, denique fere omnes, qui post mortem sectionem fecere, ossificationem, in thoracis variis partibus monstraverunt. Ab his vero dissentire cogor, qui ossificationem congestioni sanguineo ascribere vellent; secretioni morbidae partium ipsarum diathesin habentium ad rem osseam deponendam tribuere mallem. Non est vero inficiandum, materiam osseam sic depositam inter causas excitantes esse habendam. Sed non semper conspicitur talis species morbosa, Parry ipso teste: ergo est ubi aliae quaerendae sunt causae; ex quibus, ut opinor, non ulla est potentior quam adipis magna vis, quae in posteriore mediastino,

circa cor, et in pericardio secernitur. Pericardio sic onusto, et projecto, tenduntur, vel pondere urgentur, tum diaphragma, tum nervi praecipue phrenicus, ubi cursum flexuose tenet in pericardii superficie ad apicem usque, septum versus transversum : tensione in hunc modum facta, oritur spasmus ; spasmus tensionem auget ; tensio aucta facit dolorem. Si concretiones calcareae, aut ossium spicula, nervis, a corde palpitante vel motu pulmonis impellente, imprimantur, spasmo pariter intenditur dolor, protrahiturque.

Forsan et aliae sunt causae concurrentes, nempe, ventriculus distensus, aut induratus, hepar ingens cum calculis biliosis, aut sanguis in pulmones congestus. His concessis, intolerantia decumbendi in latus sinistrum, cum dolore lateris, et brachii ejusdem, nec non strictura sub sterno, aeque ac septi transversi spasmus, sive descensus, intellectu haud prorsus obscura videntur. In exemplo allato, phaenomena morbida ad hunc modum explicare tentavi. Rem ita se habere in omni anginae casu, statuere haud queo ; nec mihi est satis compertum, diaphrag-

ma seorsum spasmo esse obnoxium ; quandoque cor ipsum spasmo corripitur, quo superveniente, cito subsequitur syncope, ut monstravit MORGAGNI * praeclarus. In casu jam dicto, mihi non liquet cor, aut spasmo, aut alio quovis morbo, fuisse primariò affectum : in sententiam vero contrariam discedere sum magis propensus; nam si cor fuisset imprimis vitiosum, anne pulsum dedisset aequalem ? anne convaluisset aeger anginosus ? nonne partes aliae affectae utcunque sufficiunt, motum cordis incitatum, ut probent ?

DE CAUSIS.

CAUSAE, quae videntur huic morbo praedisponere, sunt vita sedentaria, affectus animi, diathesis plethorica, nec non arthritica, mobilitas quaedam generis nervosi, temperies coeli humida.

Causae vero excitantes sunt, motus corporis tam subitus, quam vehemens, aut quaecunque

* De Sedibus et Causis Morborum.

causa respirationem accelerare facit ; ventriculus cibi plenus ; vinum ; vigilium ; vocis exercitatio nimia ; alvus astricta, ad quem solvendum catharticis opus est fortioribus. Terebinthina huic quidem indicationi probe apta videtur, utpote quae vim teneret ventrem bene expurgandi, aeque ac ejus torporem perpetuum, magna ex parte amovendi. Denique, quaecunque nervos convellunt, qualia sunt narcotica, thea, coffaea, calor lectus, affectus animi, ex quo ingens morborum turba provenire solet.

DIAGNOSIS.

Dr Darwin * casum memorat morbi haud valde absimilis, quem asthma dolorificum appellat. Ex descriptione autem hujus curta, haud quidquam pro certo efferre valeo. Doloris sedes, cum absentia tam tussis iteratae, quam respirationis cum sibilo tardae, diagnosin inter anginam, et asthma satis plane praebet : quicunque

* Vide Zoonomia, vol. ii. 4to, p. 342.

porro, paroxysmo urgente, astaret aegro, cum quovis alio morbo confundere nequeat.

Prognosis caute est habenda; nam si ossificatio vasa cordi vicina teneret, ac si hunc statum immedicabilem, vel pulsu venae abnormi, vel absente palpitatione, aut ait Parry, vel quovis alio signo ediscere datur; prognosin esse infaustam, aut valde dubiam est necesse. Si res enim ita se habeat, quis potest punctum praedicere temporis, quo vita cum sanguine effundatur in auras? Si vero morbus ingravescere non perstat, aut si remediis idoneis levari videatur, exitûs felicioris spem animo fovere licebit.

DE RATIONE MEDENDI.

Ex supradictis, et ex remediis in exemplo allato fauste adhibitis; indicatio prima est adipiscenda, ope remediorum vim habentium remoras sive obstructiones amovendi, secretiones etiam morbidas corrigendi. Secunda indicatio est, paroxysmum breviare, tum praevertere, tum le-

vare. Prima sit medici cura, ope purgantium, astrictum solvere ventrem; hujusmodi remedia intestinorum obstructiones submovent, nec non ad absorptionem, aut remotionem rei morbide secretae, nempe adipis, aut materiae calcareae concitant. Diuretica cum hydrargyro, qualia a fratre meo fuerunt exhibita, hunc apprime adjuvant effectum; his stimulantur vasa absorbentia, et inde eliminatur res vitiose secreta, cum fluido simul plus aequo abundante. Missio sanguinis curationi parum conferre videtur. In exemplo anginae jam nunc allato, sanguis haud raro fuit missus per spatium anni, priusquam hunc videram: mihi vero narravit, se plus damni, quam fructûs ex re plerumque accepisse. HEBERDEN ita censet: "We must not seek for "the cure among the means which lower the "vis vitae *." Nihilominus paroxysmo gravius, aut diutius urgente, sunt tentanda summa remedia.

Epispastica frustra adhibita fuerunt. Fonticuli brachiis, et lateri inserti haudquaquam

* Vide Edinburgh Medical Commentaries, vol. iii. p. 180.

sunt temnenda remedia; sunt qui femoribus hos inserere hortantur, sed unde sit petita hujus ratio, discere non queo.

Antispasmodica, sed non ex classe proxime narcotica, diaphoreticis conjuncta, paroxysmo adveniente exhiberi merentur. Vomitum ciere, quo non aliud efficacius remedium, ut paroxysmum interrumpat, medicorum operae est pretium. Quamprimum ad hanc rem animum appuli, mihi fuit spes haud vana ex effectu orta, si ante paroxysmum vomat anginosus, paroxysmum aut omnino praeverti, aut plurimum levari: horum operatione laxatur spasmus, exoneratur ventriculus, et promovetur absorptio. Horum tamen usui objiciatur, quod inter agendum, sanguinis impetu aucto, in vasa cordis, vi eorum resiliente perdita, impactus, tunicas dirumpere fragiles vim habeat. Quoniam vero hunc vasorum statum ancipitem, non est in promptu praescire, cautio in horum remediorum usu est adhibenda.

Non est praetermittendum, omnes causas excitantes esse evitandas; quales sunt vinum, ce-

revisia, multum carnis, ventriculus satur, aër humidus, corporis motus subitus aut vehemens; denique, quaecunque aut mentem aut corpus plus aequo stimulant.

In rheda vehi, et mutare coelum, quibus juvantibus haud ultima laus est, non sunt omittenda. Forsan in rem erit, boni praeceptum Celsi in memoriam revocare: "Si cui vero do- "lere nervi solent, huic quantum fieri potest, "exercendum id est, quod affectum est, obji- "ciendumque labori et frigori; nisi cum dolor "increvit, sub quo quies optima est."

FINIS.